



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Animadversiones Ad Cap. XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10996

etate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo quo conversata est monasterio, decessit.

ANIMADVERSIONES

AD CAP. XVIII.

Filiam Desiderii regis Longobardorum] *Irmogardam* vocat *Aventin. lib. IV. p. 218.* alij *Hermingardim*, cum *Paschasio Radberto* Corbejæ Veteris Abbate, in *Vitâ Adelhardi*, quam expetitam à Carolo solennique more ductam, domum anno vertente remitti, non ferebat *Adelhardus*, *Caroli* consobrinus. Sed prævaluit *Stephani* Papæ dira minantis auctoritas, ut ad pristinum cum *Hildegarde* consortium rediret. Epistolam Papæ inter alios refert *David Blondellus Geneal. Franc. tom. 1. præfat. Apol. contra Chiffletium n. xxxiv.* *Carolomannus* similiter ejus Frater filiam Desiderii in matrimonio habebat, procurante itidem matre, quæ cum pacis causa, ut clarè innuit *Adelmus, ad ann. 770.* in Italiam profecta esset, expedito negotio in Galliam ad *Filios* reversa, adduxit filiam regis Longobardorum, *Carolomanno* filio suo conjugio sociandam, ut loquitur *Auctor annal. Fuldens. ad ann. 770.* Mirè ejus verba turbavit *Pithæus*, adeo ut *Bertam* nomine fuisse *Carolomanni* uxorem credas, quod tamen ad matrem ejus referri debebat.

Hildegardim de gente Svevorum præcipua nobilitatis seminam) Pervulgata est opinio *Hildebrandum* *Catoli Martelli* germanum, ut clare appellat *Fredegarius Scholasticus*, *Gregorij Turonensis* continuator, ex *Immâ Nebi* filiâ, *Huochingi* nepte *Hildegardim* genuisse, quam *Carolus M.* in matrimonium duxerit. Quæ conjectura quanquam doctissimo *Blondello* apprimè placuerit *tom. 1. Geneal. Franc. assertione n. xxxiv.* non tamen omninò probari debet. Nam quod *Adelhardus* *Caroli M.* patruelis *Hildegardim* reginam adeo averfatus est, ut seculum relinquere maluerit, *Paschasio Radberto* teste, propter consanguinitatem factum esse non credo, quin potius propter repudiatam *Hermingardim*, quæ solenniter desponsata erat *Carolo*. Fortassis ex eo genus *Hildegardis* luculentius cognosci poterit, quod *Udalrici* fratris ejus mentio habeatur apud *Monachum Sangallensem lib. 1. cap. 14.* Alioquin non pauca de hac *Hildegardi* feruntur fabulæ. Nam quæ à *Crusio in annal. Svecicis lib. 11. part. 1. c. 2.* de *Talando & Hildegarda* ex nescio quo otioso *Monacho* referuntur, indigna erant, ut pro historiâ *Chronico Spirensi* infererentur à *Lehmanno lib. 111. cap. 31.* Existat super hâc re Drama longe elegantissimum *Nicodemi Frischlini*, qui tamen ex vulgi opinione, ut decebat *Comicum*, rei seriem proponit. Obiit *Hildegardis* Pridie

Kal. Maij, in vigilia Ascensionis Domini, Anno 783. consentientibus Adelmo, Reginone. Annal. Fuldens. Alberto Stadenf. aliis. Quare corrigendus Marianus Scotus lib. 111. et. 6. qui ad ann. 783. 11. Kal. Mart. Hildegardim obiisse scribit.

Tres filios totidemq; filias] Similiter Theganus Chorepiscopus cap. 2. At plures recenset Paulus Diaconus Forojulienfis, cujus fragmentum de Episcopis Metensis Ecclesia exhibet Petrus Pithœus p. 289. Hic, inquit, ex Hildegarde Coniuge quatuor filios, & quinque filias procreavit. --- Primus dictus est Carolus Patris & Proavi Vocabulo nuncupatus: Secundus item Pipinus, Fratris atque Avo æquiuocus: Tertius Ludovicus, qui cum Clothario, qui biennis occubuit, uno partu est genitus. Eadem de Clothario Auctor vitæ Ludovici Pii ad ann. 778. p. 339. quorum unus, ait, immaturâ morte præreptus, ante penè mortem quam sub luce vivere cœpit. De filiabus major difficultas: Nam inter quinque illas à Paulo relatas, Immam Eginhardi Coniugem passim recensent. Meminit certè ejus Collector Chronici Belgici sub anno Ludovici Pii xii. fol. 91. Sunt qui octo Carolo ex Hildegardi filias prognatas numerent, Rorradin, Bertham, Giselam, Hildegardin, Adelhaidam, Bellixandram, Immam, & Gerthrudam.

De Fastradâ Vxore.) Fastradanam alii constanter vocant, Radolphi Comitis Filiam de Orientali Franciâ, quam post obitum Hildegardis, eodem anno in matrimonium acceperat Carolus, testibus Adelmo, Reginone, Annalibus Fuldensibus, Alberto Stadenf. ad ann. 783. Poëta Caroli M. incerto nomine lib. 11. v. 37.

— — — — —
Tunc est sociata

Regali thalamo conjunx Fastrada vocata,

Filia Radolphi Comitis, sacra germine clava.

Crudelitas ejus infra ab Auctore cap. 20. perstringitur, quod Carolum à sua naturæ benignitate, ac solitâ mansuetudine, ad nescio quæ crudelia facinora compulisset. Mortua est Fastrada ann. 794. & sepulta Mogunciaci apud S. Albanum.

Luitgardin Alemannam) Obitum ejus ad ann. 800. Pridie Non. Jun. Hermannus Contractus, Adelmus, Regino, aliique collocant. Unde corrigendus auctor annal. Fuldens. ad eundem annum, ubi vulgo scriptum Hyldegardis pro Hluitgardis, quod miror à Pithœo & Frehero præteritum. Commendat eandem Poëta Saxon. de Vita Caroli lib. 111. v. 593. quod fuerit

Moribus & vitæ merito laudabilis omni.

Quatuor habuit Concubinas) Invenias qui octo numerent, aliquos etiam qui plures. Sex certe Concubinarum Eginhartus Noster haud obscure memi-

meminit, quarum duas priores ante initum cum Hildegardâ matrimonio, ab eo adamas crediderim: quatuor postremâ post obitum Conjugum in societatem adscitæ sunt. Nescio quid mussitent Veteres, de insigni peccato, quod nemini pandere voluerit Carolus, cuius tamen pœnitentiam tandem egerit, ut ante mortem B. Ægidii precatione adjurus, Schedam ab Angelo susceperit, in quâ descripta fuerit Imperatoris celata culpa, cum abolitione impetratâ. Quale illud crimen fuerit, conjecturâ non assequor, nisi quod quibusdam visum est, seriam de rot concubinis pœnitentiam egisse. Meminit ejus rei, sed aliâ conjecturâ, ut opinor, ductus Albert. Crantzius *Sax. lib. 11. cap. 20.* & post eum *Auctor Chronici Episcoporum Mindensium*, initio operis *fol. 723. edit. Pistorii.*

Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit,) Hoc nomen fuit celeberrimæ illi fœminæ, quam inter Concubinas habuit Carolus; *Reginopyrgam* vocat *Aventin. lib. iv. fol. 218.* Ejus filii Drogo & Hugo satis in Historiis noti, ex eo, quod jussu Ludovici Pii Fratris, attonsi uterque fuerint, testibus *Nithardo lib. 1.* & *Thegan. cap. 24.* Re conciliatum tamen Imperatorem iisdem legimus apud *Adelmum ann. 822.* Nam Drugoni quidem Ludovicus *ann. 823.* Metensium Episcopatum: Hugoni cœnobialia monasteria plurima, quæ *Theganus l. 6.* recenset, concessit. Vnde *Lupo Ferrariensi* Hugo non sine causâ *Abbatum summus* dicitur *Epist. 88.* Interfectus est idem Hugo *anno Christi 844. 7. Jun. vitæ,* nisi me fallit calculus, *anno 42.* in pago *Ëcolismensi.* Legi merentur, quæ tractatu peculiari de hoc Hugone *Joh. Beßlius* inter opera posthuma *Paris. ann. 1647.* edito consignavit.

Mater quoque ejus Bertrada] Hanc alii *Bertam* alii *Peretham* appellitant. Filiam *Heraclii* fuisse ex *Siffriid. lib. 1. Epit. Hist. cap. de Caroli M. progenie* discas. *Annales tamen Bertiniani* *Bertradam* hanc *Pipini* Conjugem cognomine *Bertam*, *Cariberti* *Laudunensis* *Comitis* filiam faciunt. Obiit *anno 783. iv. Id. Jul.* consentientibus *Chronologis*, uno alterove mense interjecto, ex quo nurus ejus *Hildegardis* obierat: humataque est in *Basilicâ S. Dionysii Parisiis* juxta *Patrem Pipinum*, teste *Mariano Scoto ad ann. 787.*

Erat ei unica Soror, nomine Gisla) Falluntur ergo qui plures *Carolo* affingunt sorores, præcipuè illi, qui *Bertham*, *Rolandi* *Matrem* *tabulæ genealogicæ* passim obrudunt, decepti falsâ *Turpini* auctoritate, *Rolandum*, *Ducem* *Exercituum* *Comitem* *Cenomanensem* & *Blavii* *Dominum*, nepotem *Caroli*, natumque *Berthæ* *Sororis* ejus fuisse; in *Vitâ Caroli cap. xi. pag. 72.* Mireris incogitantiam *Erpoldi Lindenbrogii*, qui cum in *Chronico Caroli M. fol. 125.* unicam *Carolo* *Sororem* cum *Eginharto* asseruisset, mox ad *fabulas* delapsus, *Rulandum* *Caroli M. Sororis Berthæ filium* *contradictorie*

riè introducit. Decepit eadem res *Reinerum Reineccium*, de historiâ optimè meritum, qui ut defectum in annalibus observatum expleret, *Bertham* Carolo pro Sorore adjunxit, *commentar. ad Poëtam Saxonicum de Vitâ Caroli*. Idem iudicium ferri debet de illâ inscriptione, quæ Treviri in Monasterio S. Maximini extare dicitur: *Ada Ancilla Christi, Soror Caroli M.* Quæ erudite ut solet confutat *Gryphiander Weichbild. Saxon. cap. 17. §. 9.*

CAPUT XIX.

* N. ac R. nepotes.

* MS. venationibus.

* MS. Theodora.

* MS. in amicis.

Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filij quàm 1.
* filia primò liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. † Tum filios, quàm primum 2.
ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac
* venationibus exerceri fecit: filias vero lanificio assuescere; colloque ac fuso, nè per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. † Ex 3.
iis omnibus duos tantùm filios, & unam filiam, prius quàm moreretur amisit. CAROLVM, qui major natu erat, & Pipinum, quem Regem Italiae præfecerat, Rothrudim quæ filiarum ejus primogenita, & Constantino Græcorum Imperatori desponsata erat. † Quorum Pipinus unum filium suum Bernhartum, filias autem quinque Adelhaidem, Attulam, Gundradam, Bertaidem ac * Thedradam superstitites reliquit. † In quibus rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cum filio defuncto nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset. † Mortes filiorum ac filia pro magnanimitate, quæ excellebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, quæ non minus insignis erat, compulsus ad lacrimas. † Nunciato etiam sibi 7.
Adriani Romani Pontificis obitu, quem * amicum præcipuum habebat, sic flevit ac si fratrem, aut charissimum filium amisisset. † Erat enim in amicitis optimè temperatus, ut eas & facile admitteret, & constantissimè retineret: colebatque sanctissimè quoscunque hâc affinitate sibi conjunxerat. † Filiorum & Filiarum tantam in educando curam